

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Studium m
cum fontibus proximo et primo

Sapiens ille uir Graeciae Themistocles,
cum expletis cuius annis se mori cerneret,
dixisse fertur se dolere,
quod egrederetur de uita, quando sapere cepisset.
Plato lxxxii. anno scribens mortuus est.
Socrates xciiii. in docendi et scribendi labore compleuit.

unde et sapiens ille uir Graeciae, Themistocles,
cum expletis centum septem annis se mori cerneret,
dixisse fertur se dolere
quod egrederetur de uita quando sapere coepisset.
Plato lxxxii anno scribens mortuus est.
Socrates xciiii annos in docendi scribendique dolore laboreque compleuit.
taceo ceteros philosophos, Pythagoram, Democritum,
Xenocratem, Zenonem et Eleantem
qui iam aetate longaeua in sapientiae studiis floruerunt.
Ad poetas uenio, Homerum, Hesiodum, Simonidem, Tersicorum,
qui grandes natu cygneum nescio quid
et solito dulcius uicina morte cecinerunt.

Sophocles cum post nimiam senectutem, et rei familiaris negligentiam,
a filiis accusaretur amentiae, Oedippi fabulam, quam nuper scripserat,
recitavit iudici, et tantum sapientiae in aetate iam fracta specimen dedit,
ut seueritatem tribunalium in fauorem theatri converteret.
nec mirum cum etiam Cato censorius et Romani generis disertissimus,
iam senex graecas litteras discere nec erubuerit nec desperauerit.
Certe Homerus refert quod de lingua Nestoris,
iam uetuli et paene decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit.

Refert Homerus quod de lingua Nestoris,
iam uetuli et pene decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit.

Hugo ibidem (didascalicon) libro III.

Hugo de sancto Victore, *Didascalicon de studio legendi*, 3.14
(C.H. Buttimer ed., pp.65-6, ll.26-28, 1-26).

unde et sapiens ille Graeciae,
cum expletis centum et septem annis se mori cerneret,
dixisse fertur dolere,
quod tunc egrederetur e uita, quando sapere coepisset;
Plato octogesimo et uno anno scribens est mortuus;
Isocrates nonaginta et nouem annos in docendi scribendique labore compleuit;
taceo ceteros philosophos, Pythagoram, Democritum,
Xenocratem, Zenonem, Cleanthem,
qui iam aetate longaeua in sapientiae studiis floruerunt:
ad poetas uenio, Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum,
qui grandes natu cygneum nescio quid
et solito dulcius uicina morte cecinerunt.

Sophocles, cum propter nimiam senectutem et rei familiaris negligentiam
a filiis accusaretur amentiae, Oedipi fabulam, quam nuper scripserat,
recitauit iudicibus et tantum sapientiae in aetate iam fracta specimen dedit,
ut seueritatem tribunalium in theatri fauorem uerteret.
nec mirum, cum etiam Cato, Romani generis disertissimus,
censorius iam et senex, Graecas litteras nec erubuerit nec desperauerit
discere. Certe Homerus refert, quod de lingua Nestoris
iam uetuli et paene decrepiti dulcior melle oratio fluxerit.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 52.3.5-6 (CSEL 54, I. Hilberg ed.,
pp.417-18, ll.12-14, 1-15).